DE PSEUDOGENESI HETEROGENA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS ANATOMICO-PHYSIOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XIV. M. JANUARII A. MDCCCXXXV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

FRIDERICUS GUIL. VENNEWITZ
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

FRANC. BRISKEN, MED. ET CHIR. DR.
CLEM. BRUELL, MED. ET CHIR. CAND.
FERD. SCHEELE, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI, TYPIS NIETACKIANIS.

AMPLISSIMO, HUMANISSIMO

HENRICO WOERTELER,

MEDICO PRACTICO,

AFFINI SUO DILECTISSIMO

NEC NON

AMPLISSIMO, HUMANISSIMO

DAVIDI JAENKE,

REGI A CONSILIIS CAMERAE AULICIS,

AFFINI SUO DILECTISSIMO,

D. D. D.

AUCTOR

PROOEMIUM.

Quamvis late pateat in medicina experientiae et inquisitionis campus, tamen vix ullum, credo, ex eo thema erui poterit, de quo non bene et eleganter a viris doctissimis sit disputatum: neque aliter est illud in hoc ipso, quod equidem tractandum mihi elegi. Impulit me non meliora ac nova proferendi spes: quod alienum est a discipuli modestia: sed mos et necessitas, qua juvenilis ingenii studia publica dissertatione proponi jubentur. Quod si quis hanc scriptionem lecturus est, eum rogatum esse velim, ut benigne juvenili animo indulgeat, si qua parum accurate exposita invenientur.

Heterogenas vocant novas formationes irregulares, a normali corporis compositione alienae constructiones, ut est apud Meckel; tumores maligni, ut apud antiquiores chirurgos; degenerationes, pa-

rasiti, sarcomata, ut apud Anglos; intumescentias et duritates singularum partium, abnormi reproductionis ratione procreatas, quae ipsae primum plus vel minus durae postea sensim molles fiunt, atque ulcera et universalem cachexiam adducunt.

SYMPTOMATA.

Varia sunt in variis stadiis symptomata. Stadiorum duo distinguuntur:

I. Stadium cruditatis. Est illud sine propriis vel certe parvis cum doloribus, vel cum signis congestionis oriuntur tumores vel orbiculatae partis cujusdam intumescentiae, quae propria sua gibbosa forma, sensu plane peculiari frigoris vel dolorum ferientium, turbatione functionis, infirmitate, extenuatione et cachectico aegrotantis personae habitu insignes sunt. Interdum ne nervorum quidem affectiones desunt: et pro diversitate morbosorum organorum etiam alia symptomata oriuntur.

II. Stadium malaciae, sive suppurationis sive ulcerationis.

Crescentibus doloribus vel in ipso eorum ortu et cum febrium signis incenduntur normales affines telae, atque verisimiliter ipsa etiam aegrotans tela, qua re symptomata irritationis et inflammationis oriuntur. Conformatur ulcus, diruit eam partem, unde febris hectica existit. Durante mollescentia frequentes apparent haemorrhagiae, et sanguis in

ipsa compositione varie mutatus flavam illam cachecticam speciem procreat.

CHARACTER ANATOMICUS.

In primo stadio apparent singulae quaedam parvae pustulae in cellulosa organi tela infiltratae. Quae quidem ipsae frequentiores fiunt, densius, quod continent, et hac de causa ipsa pars durior. Postea distingui potest materia quaedam plus vel minus homogena, a normali tela diversa, alba plerumque, caerulea et flava; cujus pauca admodum et tenuissima sunt vasa et consistentia, ut albuminis. Est illa materia plerumque subrotunda, consistens saepius ex compluribus tumoribus et haud raro a pelle circumdata.

In altero stadio tumor mollescit ex interiori ad exteram partem, crescente congestione ad organa laesa. Cellulosa quaedam in tumoribus structura cognosci potest; liquores in ea a principio esse solent sine colore, interdum colorati: haud raro in ipsis vasa se conformant, non inventa ratione, quae sit eorum cum vasorum systemate ceterorum corporum conjunctio; saepe oritur haemorrhagia, et extravasatum in tumoribns vel tota tela sanguine infiltrata est. Tela normalis sicut ipse tumor inde inflammantur et suppurant, et oritur ulcus, circa quod plerumque materia heterogena gignitur; imprimis autem conformatio novorum tumorum circa

ulceratam partem post artificiosam remotionem per operationem existit.

CAUSAE.

Sunt eae imprimis infirmitas constitutionis et cutis, oppressio normalium et abnormium secretionum, congestiones ad unum organum, et omnia mediocria inflammationum irritamenta. De quorum ratione diversae sunt plurimorum Pathologorum sententiae. Dicunt igitur primarium in iis esse

I. inflammationem (Broussais et cum eo plurimi antiquiores Pathologi) et quidem

a) inflammationem strictiori sensu. Haec autem vera natura esse non potest, quum incipiente illa formatione omnia pathognomonica inflammationis signa desint, ac plerumque etiam frequentissimae inflammationis causae. Antiphlogisticus medendi apparatus nihil contra ea praestat, atque adeo vehemens inflammatio tumores evertit. Est igitur, ut videtur, inflammatio ex tumore nata, vel fortuita.

b) Inflammationem latiori significatione i. e. auctum vitae multipliciter se extendendae studium: quod idem est et redit ad

II. Errorem nisus formationis vel abnormem reproductionis processum vel genesi similem inflammationis rationem (Ritgen), qua certo quodam loco nova vita excitatur, quae suo formationis nisu

praedita organismum rodens consistit: unde parasiti nomen inditum.

III. Cystogenesin (Hunter, Adams, Delpech, Heusinger) ex hydatidibus, quarum interna sensim condensantur et augentur, evanescente eodem modo pelle.

IV. Aegram secretionem, qua vivens productum formatur, quod per se ipsum sanguinem parare et emittere potest, et amplius fit partim juxtapositione partim intussusceptione, atque inflammandi se facultatem habet. Haec plerumque ex venis et vasis lymphaticis ori videtur; albumini similis materia retentione consumtae materiae animalis secundum normalem vel abnormem secretionem in tela cellulosa existit. (Andral, Jaeger.)

DIVISIO.

Abnormia ista producta distinxerunt partim ex loco, partim ex tela, partim ex ipsorum colore et consistentia. Mihi quidem Jaegeri divisio optima videtur: a) Tuberculosis; b) Scirrhosis; c) fungus medullaris et haematodes.

THERAPIA.

Prima indicatio; indicatio causalis efficitur confirmatione corporis, restitutione oppressarum normalium vel abnormium secretionum, sublatione venosarum congestionum et fuga omnium rerum, quae

irritamenta excitare possunt. Indicatio altera; indicatio morbi. Divisio tumorum et impeditio plurium morbosarum secretionum. Indicata igitur sunt:

A. Medicamenta derivantia ad intestinum rectum et cutem.

B. Medicamenta resorbentia, quorum sunt:

α) omnia metalla excepto hydrargyro;

β) salia, imprimis ammonium muriaticum et calia;

γ) vehementer narcotica vegetabilia.

C. Methodus antiphlogistica. Hirudines, frigus, cucurbitae sanguineae. Indicatio tertia. Remotio producti morbosi:

α) Excitatione vehementis inflammationis;

β) chemica eversione, cauteriis;

γ) mechanicis remediis, ligatura, exstirpatione.

I. Species. TUBERCULOSIS.

Tubercula sunt plus vel minus magni subrotundi tumores in variis corporis telis, qui summus gradus scrophulosis et productum morbosae secretionis albuminis sunt: appellantur etiam nodi scrophulosi.

SYMPTOMATA.

I. Stadium cruditatis.

Sunt illi tumores initio saepe lenes et parvi momenti, in universum congestiones ad organa aegrotantia, plethora venosa. Habet aegrotus habitum

scrophulosum, sentit se languidum et infirmum, vasorum systema irritatum est. Si ipsi sedent in exterioribus partibus, hae gibbose intumescunt, dolorosae sunt, initio molles, mox durescunt.

II. Stadium. Stadium suppurationis, exulcerationis.

Irritationis symptomata multiplicantur, tumor fit dolorosior, concrescit cum externa cute, apparent symptomata ulcerationis et febris hectica cum variis suis gradibus.

CHARACTER ANATOMICUS.

I. Stad. Heusingero auctore oriuntur ut parvae pervisibiles pustulae, quarum liquidus complexus sensim durescit. Secundum verum Andral observationem istud nihil est, nisi complicatio hydatidum et tuberculorum. Omnes ejusdem fere speciei sunt, initio parvi, compacti, subrotundi, flave albi, semicartilaginosi tumores sine ullo organisationis vestigio, qui in telis normalibus aut libere adiacent, aut pelle circumdati sunt. Qui dum singuli apparent, simplices nominantur; si complures confluxerunt, compositi: si substantia normali alteri ab alteris divisi sunt, infiltrati; dum tuberculum durum est, rudes. Tela tuberculosae materiae nullam ostendit organisationem, ut antea putabat Meckel, substantia plane homogena est, caseo similis. Fibrae in ea, quae interdum cernuntur, re-

liquiae sunt earum, quae antea adfuerunt, normalium telarum, aut pristinorum vasorum. Analysis chemica ibi invenit substantiam animalem, natrum muriaticum, calcariam phosphoricam et ferrum. In hoc stadio tuberculum diu subsistere potest, rarissime resorbetur, sed interdum celeriter senescit et in massam cretae similem commutatur, unde tuberculum cretatum nominatur. Haec commutatio pro sanatione naturali habenda est.

II. Stadium. Sicuti apud cancrum et fungum medullarem, sic hic quoque emollescentiam ab interiori ad exteriorem partem procedere statuerunt. Sed e contrario extra illa oritur et intus procedit, est etiam secundaria. Tuberculosa massa, utpote corpore alieno, tela normalis suppurat, et pus tuberculum mechanice confringit, qua ratione pus tuberculosum formatur.

Sedes tuberculorum tela cellulosa est, tam libera, quam parenchymatosa. Organa, in quibus cernuntur, ut ab iis incipiamus, qui frequentissime ex tuberculis laborant, hunc ordinem sequuntur: a) apud adoletos: pulmones, intestinum tenue et intestinum crassum, glandulae cervicales, axillares, inguinales, mesenteriales, bronchiales, hepar, lien, renes, prostata, testiculi, uterus, ovaria, telae cellulosae inter cutem, musculos et ossa, cartilago intervertebralis, cerebrum et medulla spinalis. b) apud infantes hic est ordo: glandulae bronchia-

les et mesenteriales, pulmones, lien, hepar, renes, intestina, glandulae cervicales, cerebrum, medulla spinalis, ossa, glandulae inguinales et lumbales, tunicae serosae.

CAUSAE.

a. Causae praedisponentes plerumque sunt innatae constitutiones ex dyscrasicis et cachecticis parentibus, aetas puerilis, dentitio sera, evolutio, genus muliebre, plethora abdominalis.

b. Causae occasionales sunt incompletae sanguinis formationes et aucta venositas, infirmantes nervorum systema, deprimentes vires, frequens veneris usus, assiduum studium, activae et passivae congestiones et nimiae irritationes singulorum organorum, ut pulmonum continuo loquendo, oppressio normalium et abnormium secretionum e. g. sudoris, menstruationis, pedum sudoris, chronicorum exanthematum, scabiei etc.

c. Causae proximae. In his numeratae sunt 1) inflammatio, quae quidem saepe adest, sed non necessario; 2) cystogenesis; 3) morbosae secretiones ex sanguine in organorum telas.

THERAPIA.

Therapiae hic in universum est tollere scrophulosam dyscrasiam restituenda normali secretione,

et sejunctionem ab albumine minuere, sanguinis parationem emendare et resorptionem adjuvare.

I. Indicatio: respectus ad scrophulosin, purus, calidus aër, motio, mundities, calidus vestitus, cura apertarum secretionum, emendatio sanguinis et lymphae parationis per tonica, calida balnea, imprimis muriatica et sulphurica, prudens diaeta.

II. Indicatio. Remotio congestionum ad organa aegrotantia remediis laxantibus.

III. Indicatio. Adjuvatio resorptionis massae tuberculosae, itaque ammonium muriaticum, spongia marina, jodine, ferrum jodatum, digitalis, terra ponderosa salita.

II. SPECIES. SCIRRHOSIS.

Scirrhus et cancer s. carcinoma.

Est is heterogena ista telarum nova conformatio, quae sub specie plus minusve orbiculatorum tumorum apparentes secretiones ab albumine in variis corporis telis sensim mollescentibus erumpunt et ulcus maligni characteris repraesentant.

I. Stad. Stadium scirrhosum. Scirrhus. Parvis cum doloribus vel etiam sine iis accurate circumscriptus, mobilis, durus tumor oritur sine inflammatione affinium partium, contra haud raro glaciali cum frigore; organorum aegrotantium functio parum turbata est, sicuti ne in universo quidem organismo quidquam mutatur, nisi quod magnitudine

sua et graviditate tumor difficultates procreat. Spatium, per quod hoc stadium durat, diversum est pro diversitate remotionis aliorum momentorum noxiorum.

II. Stad. Stadium carcinomatosum, carcinoma, cancer occultus et apertus, cancroides. Oriuntur periodice vagi, penetrantes, ferientes dolores, initio rari, mox frequentes, imprimis si humidum erit frigus, aër tempestuosus, organismus irritatus. Interea tumor clausus est, concrescit cum partibus affinibus, immobilis fit, gibbosus et valde durus, et tam ad cursum vasorum lymphaticorum, quam eo, nbi laxa est tela cellulosa, diffunditur. Cutis tenuescit et caerulea fit, proximae glandulae lymphaticae inflammantur et dolores excitant. Nutritio organismi patitur, facies morbosi livide cachectica fit. Interjecto spatio quodam augendis symptomatis tumor in eo loco, qui decoloratus maxime et altus est, erumpit compluribus parvulis foraminibus, cribro similibus, quae mox in unum coalescunt, quamvis non multum secernitur. Apertio commutatur in ulcus phagadaenicum, vario decolorato fundamento, serratis, arrosis marginibus, in modum valli, decoloratis, duris finibus, copiosa plerumque secretione, tenui, caustico, specifice olenti liquore, (cancer apertus), non conformantur validae granulationes, sed facile sanguinem emittentes celeriter se gignentes spongiae, cancer fungosus, ferientes et terebrantes dolores et haemorrhagiae semper augentur et vehementiores

fiunt, sanguis tenuis est, condensatio et fungositas semper magis se extendit, primus tumor non jam augetur, sed diruitur, quum contra circa spongias illas nova semper durities, et quaecunque affines sunt formationes sensim in massam spongiosam mutentur et diruantur. Etiam in remotioribus partibus, imprimis in glandulis lymphaticis, similes tumores oriuntur. Ulcus remediis solitis resistit, et non diruta scirrhosa parte insanabile est; erumpente tumore aliquantulum magno febris hectica apparet, plerumque sub specie intermittentis, sine frigore, sed acido cum calore, doloribus ossium. Ad colliquationes raro pervenitur. Oriuntur phaenomena tuberculosa in organis, et mors sequitur debilitatione ex haemorrhagia et doloribus orta. Si nodus scirrhosus operatione removetur, paulo ante vel post cicatrisationem alius nodus in locum prioris succedit vel in aliis organis nodi scirrhosi celerius crescunt.

CHARACTER ANATOMICUS.

I. Stad. Organum aegrotans durius est, gravius, densius, caeruleum, vel multi caput acus adaequantes subalbi noduli apparent, vel unus tantum magnus et gravis nodus in tela. Plurimi scriptores in scirrhis formationem cellarum esse statuunt, in quibus semipervisibilis, sordide alba vel caerulea, subrubra, deformis, anorganica materia existat. Has cellas cum eo, qnod continent, Adams credit esse

hydatidas vivas. Jaeger normalem compressam telam, massam anorganicam vero scirrhosam materiam.

II. Stadium. Nodus scirrhosus mollior fit, gibbosus, ad speciem fluctuans, circumdatus vasis varicosis, massa anorganica mollis est, et vasis sanguinariis pertracta, quae complures scriptores adesse negant; sed ipsa vasorum formatio in hoc stadio characteristica est, quum in tumore centrale quoddam vasorum systema constitui videatur, quod cum reliquo vasorum systemate communicationem non habet; cutis valde tenuis et caerulea facta est; sub ipsa existit massa quaedam, ut lien emollitus, quae quum incideris procedit et ad speciem fluctuationem excitat.

CAUSAE.

I. C. praedisponentes. Epocha involutionis. Raro morbus ante 36. annum invenitur. Inclinatio ad eum augetur pristina scrophulosa constitutione, vitae genere sedili, insano aëre, aegrimonia et curis, infirmitate nervorum systematis, turbatione functionis cujusdam organi.

II. C. occasionales. Infirmatio nervorum systematis deprimentibus affectationibus, libidines et nimis magnae animi contentiones, oppressio normalium et abnormium secretionum, menstruationis, chronicorum exanthematum etc., chronica organi cujusdam

irritatio, mechanica, chemica, vel dynamica, impressio, contusio, usus vini adusti, etc.

III. C. proximae. Initio scirrhus raro non nisi localis est, sed plerumque morbosa albuminis sejunctio in organum quoddam, cum studio se ipsum organisandi, quod amplificatum solum maternum diruit et totalem dyscrasiam excitat. Scirrhus apparens plerumque constitutionalis est. Cancer ex causa mechanica localis, ex causis constitutionalibus nunquam localis est: unde fit, ut hic etiam post exstirpationem redeat vel in aliis locis gignatur. In universum cancer contagiosus non est, quamquam ichori acri et caustico, si malum ad summum processit, malignam naturam esse negari nequit. Hereditas a multis conceditur, ab aliis majori jure negatur et pro morbosa constitutione habetur.

Sedes et divisio. Prima sedes tela cellulosa est, imprimis harum formationum:

1. externae conglomeratae glandulae e. g. glandula parotis, mamma, testiculi, cancer glandulosus.

2. cutis externa imprimis earum partium, quae divites sunt glandulis sebaceis et mucosis (cancer cutis). 3) cutes mucosae, imprimis eae, quibus frequentes sunt glandulae mucosae, ut uterus, intestinum rectum, os. 4) glandulae lymphaticae. Pro fortuitis diversitatibus constructionis et tractus etiam

aliae parum graves divisiones a quibusdam factae sunt.

Diagnosis. Characteristica et gravissima symptomata sunt gravis, gibbosus, sine inflammatione ortus tumor cum ferientibus, urentibus doloribus, et studio immutandi se in ulcus malignum. Facile commutari potest 1. cum benigna induratione. Quam ut distinguas, videnda est originis natura, quum benignae condensationi semper inflammatio praecedat; tum ipse tumor respiciendus est, qui apud benignam indurationem jam magnus oritur neque tam accurate definitus est et quo diutius durat, eo minor et durior fit; denique etiam duritas, quum scirrhus mollescat et exulceret, aliqua tamen duritate remanente, apud benignam vero indurationem denuo inflammatur, in pus transit et sensim evanescit. Dolores apud benignam initio adsunt, mox recedunt; apud scirrhum initio desunt, mox vehementius existunt.

2. cum tumoribus cysticis. Sunt isti non gibbosi, fundamento mobili, elastice intensi tactu, recedentes, saepe adeo fluctuantes. Cutis, quae eos tegit, non mutatur.

3. cum sarcomatis. Lentius haec crescunt et insignem magnitudinem assequuntur. Etiamsi erumpunt, desunt tamen signa cancri characteristica.

4. cum localibus et constitutionalibus ulceribus

aliorum organorum. Cancri ulcus praecedentibus et praesentibus signis satis characterisatum est.

Prognosis. Cancer plerumque insanabilis est et cum morte finitur. Si quando remedia dynamica cancrum sanasse dicuntur, ibi aut benigna induratio aut mechanica laesio aderat. Etiam operatio non nisi palliativam opem ferre solet, et non nisi in primo stadio radicalis sanatio fieri potest. Simulac ictus sentiuntur, hac re transitio ad glandulas lymphaticas et insanibilitas significatur. Si apertus cancer est, raro mitigare potest. Difficillima est prognosis apud cancrum glandularum, optima apud cancrum cutis. Rarissime scirrhus in prima periodo subsistit; fide dignissimi ii sunt sanationis casus, qui per vehementem inflammationem et gangraenam facti esse dicuntur.

Therapia. I. Indicatio causalis. Affectae partes a mechanica laesione prohibeantur, ab impressione, contusione, tritione, et respiciatur ad dyscrasias, ut scrophulosim, arthritim.

II. Indic. morbi. Studendum est, ut tumorem diducas et transitum in alterum stadium prohibeas. Haec remedia usurpata sunt:

1. Methodus antiphlogistica. a) fames conjuncta cum localibus sanguinis deductionibus: quod aptius est contra scirrhum localem, ut prohibeantur, qui maligni fieri videntur. In fine primi stadii hac

re congestiones adeo augentur; b) ad eundem finem inservit frigus.

2. Narcotica, tam pura, quam acria: ad quae pertinent digitalis, intus et extra, cicuta, hyoscyamus, aqua laurocerasi, acidum Borussicum, belladonna, opium, quod ut remedium palliativum abesse nequit, extractus chaerophylli sylvestris, calendula officinalis, infusum pyrolae umbellatae, succus recens scrophulariae aquaticae. Omnia haec remedia non nisi palliative contra dolores agunt.

3. Remedia irritantia. a) Carbo animalis, intus et extra, ad summum contra malum odorem agit, non sanat.

b) Infusum fuci helminthochorton.

c) Jodine; tinctura jodi initio tantum parvis dosibus commendanda, melius ferrum jodinicum.

d) torra ponderosa salita, Oleum animale Dippelii, tinctura opii crocata, decoctum Zittmanni, Syrupus de Lafecteur.

4. Remedia metallica. a) hydrargyrum, imprimis calomelas et sublimatum; rejiciendum est, quum mollescentiam nimis adjuvet; b) aurum, praecipue aurum muriaticum natronatum conjunctum cum herba calendulae; c) cuprum ut tinctura antimiasmatica Kochlini, intus et extra; d) plumbum, quo usi sunt extra ut liquore plumbi acetico; e) arsenicum intus ut tinctura arsenicalis Towleri ad 4—8 guttas, imprimis incipiente cancri dyscrasia; f) ferrum, ut

carbonicum vel phosphoricum ad 30—36 gr. p. dosi. Successus plerumque incerti manserunt; sed tamen remedium propter efficientiam ad conservationem aegroti, quamquam non ad divisionem cancri, utile est.

Compressio scirrhi. Pinguedo tantum tumorem circumdans et tela cellulosa resorbetur. Haec omnia et alia insuper remedia apud benignos tumores valde efficacia sunt, sed apud verum scirrhum et carcinoma nihil praestant. Haec sanari non possunt, nullum est dynamicum remedium, quod radicalem sanationem attulisse dictum vel cxspectandum esset. Omnium eorum usus periculosus est, quum necessario diutior usus corpus plane evertat, et tempus, quo exstirpatio utilis esse posset, effugiat. Apud apertum cancrum omnia contraindicata sunt.

III. Indicatio. Est ejus, ut morbosum remediis mechanicis vel chemicis removeat. Secundum experientiam recentiorum medicorum haec sanationis optima est via, quanquam non semper certa. Ad realisationem hujus methodi adhibita sunt: a) exstirpatio per cultrum. Haec est omnium certissimum remedium et indicata est 1) apud scirrhum exteriorum partium, imprimis localem et orientem; 2) apud cancrum, si non nimis profundus et magnus est et remedia caustica non amplius adhiberi possunt. Contraindicata illa est apud excultam dyscrasiam carcinomatosam et affectionum complurium organorum, si nimis extenta illa et coalita est cum

gravibus partibus, ut vasis axillaribus. Operationis hae valent regulae:

1. Exspectanda utilitas ad periculum et dolores operationis bonam rationem habere debet; 2) omnia morbosa et suspecta removenda sunt; apud singulos scirrhos in glandulis semper tota glandula auferenda est; 3) curanda sanatio per primam intentionem; 4) apud curam posteram omnes affectus irritantes a vulnere removendi sunt, ligatura sit simplex, arida, incipiente suppuratione adhibendae sunt calidae fomentationes aquales et malae granulationes remediis causticis removendae. 5) Cicatrix semper ab irritatione defendenda est, ab impressione et frigore e. g. pelli caniculari, et servandae omnes secretiones diaeta et remediis utilibus; 6) rursus erumpente cancro operatio repetenda est.

b) Cauterisatio. Haec certior est exstirpatione apud cancrum exteriorum et mucosarum tunicarum, si cancer non profundior est, quam ut continuo actu caustico dirui possit. Ut enim extemplo totus cancer evertatur gravissimum est. Ad cauterisationem adhibentur: 1) arsenicum: ejus ad hanc rem maxima et fama et utilitas, si una vitalitatem organi chemice convertit. Aptissimus est pulvis Cosmicus. Similia sed parum efficacia arsenici remedia saepe commendata sunt: multorum oculos recenti tempore in se convertit Helmont, qui unguentum narcotico-balsamicum commendabat. 2) Cali

causticum, non profundis et non late extensis cancris cutis commendandum; 3) argentum nitricum fusum; 4) sublimatum; 5) acida concentrata; 6) butyrum antimonii; 7) solutio zinci sulphurici; 8) succus recens calendulae; 9) applicatio ferri candentis.

IV. Indicatio. Mitigatio difficultatum malo ipso insanabili et vitae prolongatio. Unde 1) mitigatio dolorum, ad quam maxime necessaria sunt narcotica; 2) emendatio secretionis et mutatio mali ex ulcere odoris usu carbonis, fermentantium cataplasmatum aceti pyrolignosi, calcariae oxymuriaticae etc.; 3) pausatio haemorrhagiarum per adstringentia; 4) conservatio virium diaeta roboranti, nutrienti et miti atque tonicis.

III. Species. Fungus medullaris et haematodes.

Sarcoma medullare s. cysticum, carcinoma molle, fungosum s. cerebriforme, encephaloides. Est hic a quavis aetate et tela non aliena, organica, anomalis tela, quae majori mollitie, insigni vasorum copia, et imprimis physica et chemica similitudine cum massa cerebrali a cancro distinguitur, quem quidem malignitate superat, propria quadam dyscrasia comitante.

SYMPTOMATA.

a. localia. I. Stad. Fungus medullaris occultus. Sine insignibus difficultatibus parvus, laevis, aequus

tumor formatur, qui, ut crescit, magis intenditur et fluctuat. Mox in eo parvi noduli se erigunt, tumor vehementer crescit et postremum fluctuationis fallentem sensnm ostendit. Iucisione facta non nisi quid venosi sanguinis evacuatur vel liquor subrubre flavus. Si tumor nullam musculorum vel nervorum functionis turbationem excitat, diu saepe doloribus caret; contra vero dolores sunt vehementes et vix tolerandi. Crescente tumore venae cutis supra eum varicosae fiunt, et in quibusdam collibus cutis flave rubra fit, livida, erysipelatosa, decolora; concrescit cum tumore et erumpens transit in

II. Stadium. Fungus medullaris apertus. Ex cribriformibus foraminibus, quae mox in unum coalescunt, serosus liquor profunditur, surgunt rubrae, iniquae, spongiosae excrescentiae, subcaeruleae, subrubrae, subvirides, quae magnam copiam atri, male olentis sanguinis et ichorosi liquoris profundunt, et postquam certam quandam magnitudinem assequutae sunt, per frustra decidunt et quasi tempestate diluuntur. Exterioribus his spongiis exstirpatis jam praesentes interiores eo celerius prodeunt.

b. Symptomata universalia. Raro ante, plerumque post eruptionem glandulae lymphaticae circa intumescunt, aegrotans cachecticam speciem habet et valde infirmus est; saepe abdomen intumescit et subhydropicum fit; appetitus, excrementorum et uri-

nae secretiones abnormes sunt, et per febrim hecticam et colliquationes mors sequitur.

CHARACTER ANATOMICUS.

Spongia medullaris mollem, elasticum, quasi ex compluribus singulis folliculis et cellulis compositum tumorem efficit, ex tenui tela cellulosa, quae homogena cerebro simili massa repleta est. Tumor aut pelle telae cellulosae circumdatus aut parum accurate circumscriptus et in telam organi aegrotantis quasi infiltratus est. Tela aegrotans saepe granulosa est et firma, quae tum lacti piscium similis, vel pancreas, vel glandulosa nominatur. Assolet substantia a tenuissimis sanguinum tractibus pertracta esse, aut in singulis cellulis sanguinis extravasatum formatur. Si cystis adest, vasis valde copiosa ista (quapropter centrale vel periphericum vasorum systema adesse statuitur). Substantia organi materni ita saepe deprimitur, ut ejus vix quidquam invenias. Substantia spongiae medullaris sensim mollescit et vasis dives fit, atque massa medullaris magis recedens jam est fungus haematodes. Quae ex eo excrescunt spongiae, consistunt illae ex tenui materia cellulosa, quae sanguine vel lympha repleta est. Saepe apud spongiam medullarem magna pigmentorum secretio est, quae vocatur melanosis vel melius cancer melanoticus. Spongia medullaris in omnibus telis reperitur, plerumque

in tela cellulosa sub cute et in finibus tunicarum fibrosarum, rarissime primarie in interiori vel exteriori cute; plerumque est in glandulis, imprimis testiculis, glandulis mesaraicis, pectoralibus et thyreoidea, cerebro, hepate etc. Etiam in corde reperta est. In ossibus ex periostio externo vel interno prodit. Saepissime in exterioribus partibus invenitur, sed tamen primarie etiam in interioribus.

CAUSAE.

1) C. praedisponentes. Scrophulosa constitutio puerilis vel mediae aetatis, infirmitas, venosae congestiones, unde etiam in annis decrepiditatis.

2) C. occasionales; a) mechanicae, contusio, compressio, ictus; ex quibus plerumque spongia medullaris ossium procreatur; b) dynamicae; imprimis rheumatismus chronicus, rarius metastases exanthematum et blennorrhoeae.

3) C. proximae et sedes. Sedem primitivam esse statuerunt, a) nervos, propterea quod cum massa cerebrali magnam similitudinem habet, ac saepe etiam cum nervis conjuncta est vel in eorum finibus invenitur (Kluge, Schoenlein), 2) liberae telae cellulosae (Chelius), 3) tunicae serosae et fibrosae et organa parenchymatosa (Jaeger). Natura consistit in morbosa mechanico vel dynamico irritamento effecta, depositione gelatinae et substantiae medullaris in serosam vel fibrosam cu-

tem cum vasorum systemate peripherico et centrali, quod vehementissime augetur et in spongias transit.

Diagnosis. Decipiens fluctuationis sensus, celeris auctio, insignes fines et spongiarum formatio post eruptionem, insignis infirmitas et propria quaedam aegrotantis cachexia characteristica sunt. Commutatio esse potest cum tumoribus cysticis, melanosi, simplici sarcomate, steatomate, lipomate, carcinomate.

Prognosis. Est illa incipiente tantum primo stadio fausta praecedente causa exteriori; in secundo vero stadio infaustissima.

Therapia. I. Indicatio (morbi). Quum tumor dividi non possit, compressio et ligatura rarissime adjuvet; remotio tumoris per cultrum et in primo quidem stadio indicata est. Remedia caustica hic plerumque nihil prosunt.

II. Indicatio (causalis). Ligatura vasorum vel applicatio hirudinum amplificationem spongiarum plerumque non cohibent; non nisi post exstirpationem provideri potest imminutione nutritus, fame, frictionibus, calomelane secundum Weinhold, balneis sulphuris, decocto Zittmanni, artificiosis tumoribus, firmanda tota reproductione, ferro et praeparatis reproducentibus.

III. Indicatio. Ind. palliativa. Roborantibus remediis vires aegrotantis conservandae et contra vehementes dolores narcotica adhibenda sunt.

VITA.

Fridericus Guilelmus Vennewitz, fidei catholicae addictus, natus sum Beverungae, anno hujus saeculi undecimo, parentibus Francisco Vennewitz et Guilelmina e gente Larenz, quorum alter diem supremum obiit anno MDCCCXXXIII. Primis litterarum elementis in patria privata institutione imbutus, usque ad annum decimum sextum, Gymnasium Holzmindense adii, ubi per annos duos studiis humanioribus operam navavi, dein Gymnasium Paderbornense petii, ibique per annum dimidium commoratus examine abiturientium absoluto, in Academiam Gottingensem profectus sum, per annum integrum praelectiones adii hasce: Anatomiam Ill. Langenbeck, Osteologiam Ill. Hempel, Chemiam Ill. Scomeyer, Physicen experimentalem Ill. Mayer, Zoologiam Ill. Blumenbach, Botanicen Ill. Schrader, Physiologiam Ill. Hempel, Encyclopaediam et Methodologiam Ill. Conrad mihi tradiderunt. Quibus peractis anno MDCCCXXXI ad Universitatem Wirceburgensem ornatissimam me contuli, et a Rect. Magnif. t. t. Ill. Wagner civium academicorum numero adscriptus, hisce per annos duos praelectionibus interfui: Anatomiam generalem, pathologicam et comparatam Ill. Muenz, qui etiam in arte cadavera secandi dux mihi exstitit, pathologiam et therapiam generalem Ill. Friedreich, chirurgiam Ill. Textor, materiam medicam Cel. Rumpf, artem obstetriciam Ill. d'Outrepont, qui idem quoque in exercendis operationibus obstetriciis moderator mihi fuit, pathologiam et therapiam specialem Ill. Schoenlein, et artem operationes in cadaveribus

rite instituendi, et fascias rite adligandi Ill. Jaeger. Exercitationibus clinicis interfui et medicis et chirurgicis et ophthalmiatricis nec non obstetriciis Ill. Marcus, Ill. Jaeger, Ill. d'Outrepont. Annis duobus Wirceburgi peractis, ad almam musarum sedem Berolinensem me contuli, et Rectore Magnifico Ill. Straufs civibus hujus universitatis litterariae et Decano Sp. Ill. Busch medicinae studiosorum ordini adscriptus, duce Ill. Rust clinicum chirurgicum, Ill. Juengken ophthalmiatricum, Ill. Bartels et Cel. Wolff clinicum medicum frequentavi. Policlinico medico et chirurgico Cel. Truestedt per annum dimidium practicando interfui. Quibus viris omnibus summe de me meritis maximas habeo semperque habebo gratias.

THESES.

1. *In obductionibus juris consulti superflui.*
2. *Si fieri potest, semper tornaculum esse adhibendum censeo.*
3. *Praestat multa vidisse, quam legisse.*
4. *Venena fortissima remedia saluberrima.*
5. *Praxi sit medicus.*
6. *Certum graviditatis signum non est.*

DE
EXOPHTHALMO,
SEUDORGANISATIONE ORBITAE FUNGOSA EFFECTO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE SIBI CONCILIANDIS
DIE VI. MENS. JUNII. A. MDCCCXXXV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
EDUARDUS WERNER,
SCHOENEBECCENSIS.

OPPONENTIBUS:

J. THIELE, MED. ET CHIR. DD.
F. BOGENSCHNEIDER, MED. ET CHIR. CAND.
F. ALLENDORFF, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS FRIEDLAENDERIANIS.

rite instituendi, et fascias rite adligandi Ill. Jaeger. Exercitationibus clinicis interfui et medicis et chirurgicis et ophthalmiatricis nec non obstetriciis Ill. Marcus, Ill. Jaeger, Ill. d'Outrepont. Annis duobus Wirceburgi peractis, ad almam musarum sedem Berolinensem me contuli, et Rectore Magnifico Ill. Straufs civibus hujus universitatis litterariae et Decano Sp. Ill. Busch medicinae studiosorum ordini adscriptus, duce Ill. Rust clinicum chirurgicum, Ill. Juengken ophthalmiatricum, Ill. Bartels et Cel. Wolff clinicum medicum frequentavi. Policlinico medico et chirurgico Cel. Truestedt per annum dimidium practicando interfui. Quibus viris omnibus summe de me meritis maximas habeo semperque habebo gratias.

THESES.

1. *In obductionibus juris consulti superflui.*
2. *Si fieri potest, semper tornaculum esse adhibendum censeo.*
3. *Praestat multa vidisse, quam legisse.*
4. *Venena fortissima remedia saluberrima.*
5. *Praxi sit medicus.*
6. *Certum graviditatis signum non est.*